

detentus, eum videret, magno ardore, & apparatu bellum adversus Reginam Scytharum Tomyrin instruentem, his illum verbis commonefecit: Si tibi esse videris immortalis, & ejusmodi exercitui praeesse, nihil est opus, ut meam dicam tibi sententiam: sin verò te quoque cognoscis hominem, & istis ejusmodi praeesse, illud in primis discito: Humanarum rerum circum esse, qui rotatus, semper eosdem Fortunatos non sinit.

15 Fuit quippè Rota semper apud Antiquos symbolum instabilitatis rerum humanarum, & vel hac de causa Fortunae applicata, ut in superiori Emblemate vidimus, & latius ostendunt, & illustrent Pierius (n) Valerianus, & novissimus, & diligentissimus Aloisius Novarinus (o), qui integrum de hoc syntagma conscripsit, cujus scripta, sive scrinia supplare nec libet, nec vacat. Praesertim cum ad instituta à Nobis sermonis probationem, praedicta sufficiunt, & illud evidentius reddat Aegyptiorum, & aliorum consuetudo, qui ut Plutarchus (p), Clemens Alexandrinus (q) & alii recensent, in Templorum adytis rotas constituere solebant, ut ad ea accedentes, hujus variationis admonerentur, & se ad Dei voluntatem, tam in adversis, quam in prosperis accommodarent.

16 Et huc etiam respexisse videatur Regius Psaltes (r), dum Deum precatur, ut superbos Reges, & suo infestis populo, Ponat ut Rotas. Et Rota illa mirabilis, quam in medio alterius Rotae se vidisse Ezechiel (s) Propheta pluribus memorat. Quod licet Sancti Patres diversimodè interpretentur, Apollinaris tamen, Policronius, & alii apud Pradum (t) ibidem, de hoc mundanarum rerum circuitu, & perpetua vertigine explicant; in qua, ut in Rotis illis Ezechielis, spiritus vitae esse dicitur, id est Domini, cum omnis earum motus ex ipsius voluntate dependeat, prout in deductione & reductione Populi Israel ad exilium contigit, quod per easdem rotas significari Divus etiam Justinus Martyr (u) insinuat.

17 Quemadmodum & Mystica illa Scala Pithaci Mitilenei, Templo dicata, nihil aliud denotabat, quam vitam hominum in perpetuo ascensu, & descensu versari, ut Diogenes Laertius (x) scribit. Quod & ipsum in illa alia Scala, quae Jacob apparuisse in Genesi (y) dicitur, pariter significatum fuisse, observat Philo Judeus (z), sic inquires: Res humanae habent naturalem quodammodo Scale imaginem, propter cursum inaequalem inconstantemque. Haec est via rerum humanarum, acclivis declivisque, incertis obnoxia casibus.

18 Discant igitur Reges, & Principes ex iis Monitis & Exemplis, neque in prosperis superbire, neque in adversis animo cadere, cum ita parum Regnum à servitute, & servitutum à Regno distare cognoscant, & hanc in humanis rebus omnibus, secundum Senecam Patrem (a), legem esse, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam ascenderit, relabatur, & lapsa, non minori velocitate in altum surgere solet.

19 Audiantque Paulum Aemilium Consulem Romanum, sic apud Livium (b), post Perseum Macedoniae Regem devictum, loquentem, filiosque & milites suos admonentem: Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hoc praecipue dico Juvenes. Idè in secundis rebus nihil in quemquam superbe, ac violenter consulere decet, nec praesenti credere Fortunae, cum quid vesper ferat, incertum sit. Necnon verba illa Annae (c), Samuelis Prophetae matris: Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat. Suscitatur de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriae teneat.

20 Job (d) quoque, qui & ipse Rex fuit, eosdem admonens Reges: Deum (inquit) balteos Regum dissolvere, & praecingere fune renes eorum. Quod (ut ibidem, post alios, Pineda Noster exponit) perinde est ac si diceret, Deum liberare, ac solvere solitum vinculis eos, quos Reges, ac Tyranni captivos detinent. Vicissimque, commutata sorte, ipsos Reges, ac tyrannos in vincula conjicere, funibusque constringere. Quod quantum ad nostri Emblematis illustrationem conducit, nemo non videt.


21 Praesertim si & illum alium ejusdem Jovi (e) locum addamus, quo has catenas, funes, & vincula, sceleratis Regibus elatisvè comminatur, & à solio, quod eis velut in perpetuum Deus concedere visus fuerat, vel ex his criminibus deturbandos. Sic nimirum inquires: Deus Reges in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. Etsi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt. Usque adeò hic Dominus, quem, ut meliorem, ac certiorum Fortunam colere, ac timere debemus, juxta supra deducta, in tanta rerum humanarum, sursum ac deorsum euntium, mutatione, Nos ex solo ipsius nutu pendere, monitos voluit, & nihil privatim, nihil publicè stabile esse, ac vel nullo extrinsecus impellente, cladis sibi causam ipsam felicitatem invenire, maxime in illis, qui ea intemperanter utuntur.

EM-

(n) Pier. in Hierog. lib. 39. fol. 288. & seq.  
(o) Novarin. in elect. sacris, lib. 2. de circuitu sacro, cap. 4. & seq. ex pag. 176.  
(p) Plutar. in Numa.  
(q) Clem. Alexand. & alii apud Novar. sup.  
(r) Psalm. 82. 14. ubi Lorin. plura ad rem nostram factentia congressit.  
(s) Ezech. cap. 1.  
(t) Prad. sup. Ezech. 1. tom. pag. 23.

(u) Justin. Martyr. apud Prad. ubi supra.  
(x) Laërt. in Pitt.  
(y) Genes. cap. 28.  
(z) Phil. lib. de somn.  
(a) Senec. Pater 2. controv. cont. 1.  
(b) Livius lib. 45. & Plut. in Paul. Aem.  
(c) Reg. 1. cap. 2.  
(d) Job 12. 18.  
(e) Idem 36. 7.

EMBLEMA VII  
LABITUR, QUOD DEO NON HÆRET.



Nobile cur valido labascit ab assere pondus?  
Hæserat haud post, scilicet, ille satis.  
Sic Rex, qui Superis non totus adhæserit, ille  
In præceptis se se, cunctaque Regna dabit.

COMMENTARIUS.

1 QUAM vanè & erroneè Romani aliqui Imperatores (a) Fortunam Auream, & Augustam sibi adrogarint, eamque ut Propriam, Manentem, & Hæreditariam, sive Translatitiam, filiis, successoribusque suis tradere, aut relinquere destinaverint, in superioribus tetigi (b). Nec minùs vecors fuisse videtur Servius Tullus, qui, ut Plutarchus memorat (c) sibi cum Fortuna Consuetudinem intercedere prædicabat, & per fenestram quamdam in suum cubiculum ad se delabi. Ob quem tumorem in Capitolio: Fortunam Primigeniam, & obsequentem dedicavit. Aut idem ipse Plutarchus (d), qui Romanis blandius, vel Maronianum illud secutus, qui de eisdem ait,

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,  
Imperium sine fine dedi.

Fortunam inducit, trajecto sive transmissio Tiberi, ad Palatium appropinquasse, alas deposuisse, talaria exuisse, atque infideli, & versatili illo globo, seu vestigia fallente pila, missa fac-

E 2

(a) Spart. in Sever. Capitol. in Antonino Pio. Causa.  
(b) Plut. in lib. de fort. Rom. Dio lib. 58. Caus. di. c. 27. in Polist. Symb. lib. 2. cap. 27. & 29.  
(c) Idem Plut. supra & Pier. in Hierog. lib. 39. fol. mibi 288. & Virg. Aeneid. 1.  
(d) Idem Plut. supra & Pier. in Hierog. lib. 39. fol. mibi 288. & Virg. Aeneid. 1.

facta, ita Romam ingressam, quas ostendentem, se inibi constanter permansuram, neque aliò in posterum avolaturam. Quod ipse etiam Romanus Populus sibi persuasisse, aut saltem præoptasse videtur, cum eandem Fortunam, nomine *Viscatæ*, coluerit, ut Nicolaus Casinus (e), post alios, recenset, quasi firma, constans, & visco glutinose præpeditis alis, sibi esset; non secus atque, secundum illud dissertum Hadriani Junii (f) Emblema,

Lato idem Cadmea Tyros decinxerat auro:  
Gradivum tenuit compede sparta gravem:  
Præpete prævarunt penna victoribus Athenæ,  
Quisque suis votis cogit adesse Deum.

3 Omnes tamen imprudentissimè, cum talis Icon, constantis & perpetuæ felicitatis, in humanis Imperiis, aut rebus, repereri numquam potuerit, nec possit; quippè quia, ut satis superque, in superioribus dixi:

Fortuna cauponatur totam vitam,  
Intemperans sortita ingenium.

Felicitasque durabilis, ac perfecta, solum in cælo à Beatis possideatur, ut Modernus (g) Epigrammaticus Anglus hoc satis ingenioso Disticho significavit,

Dic mihi, que in cælis extat vox integra, cujus  
In terris tantum syllaba prima patet?

Incerta autem, ut cum Latino Pacato (h) loquar: *Fugitiva successuum repentinorum voluptas, ut accipit, sic relinquit*; & citius quis eam reperire possit, quam retinere.

4 Quod adèò verum esse censuit Menander (i) in Senariis, quos ex Græco Latinos fecit Claudius Minoes, ut neque bonam mentem, neque prudentiam, quicquam adversus Fortunam proficere, doceat. Cui & virtutem subjectam esse Ovidius (k) Seneca Tragicus (l), & alii ab eodem Minoe relati sentire videntur; & absolutius Alciatus (m), dum Brutum, Romanæ libertatis vindicem, qui ob egregium hoc facinus quod tentavit, proprio gladio occubuit, sic loquentem inducit,

Infelix virtus, & solis provida verbis,  
Fortunam in rebus cur sequeris Dominam?

Quod sumpsit ex Lucio Floro (n), qui eundem casum recensens, sic ait: *Quanto est efficacior Fortuna, quam virtus; & quam verum est, quod moriens efflavit, virtutem nihil aliud esse quam verba.*

5 Et pro se habet Homeri, Euripidis, Ciceronis, Thaletis Milesii, Manilii, Taciti, Curtii, Aurelii Victoris, & aliorum, (o) quam plurimum Ethnicorum, Philosophorum, & Scriptorum opinionem, qui tantum eidem Fortunæ, sive Fatorum necessitati deferre voluerunt, ut non solum virtutem, verum ne ipsum quidem Jovem, Fatum vincere, vel vitare posse, censerent: Quibus adsentiens Seneca Tragicus (p), in loco quem supra retulimus, Fatis Regi mortale genus testatur, & iterum alibi, sic habet,

Fatis agimur; cedere Fato;  
Nec sollicitæ possunt curæ  
Mutare rati stamina fusi:  
Quicquid patimur mortale genus,  
Quicquid facimus, venit ex alto,  
Seruatque sua decreta colus  
Lachesis, dura revoluta manu:  
Omnia certo tramite vadunt,  
Primusque dies dedit extremum, &c.

Et rursus (q) ex eorumdem Stoicorum, & Poëtarum Schola, ita Fatum diffinere ausus fuit: *Necessitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpit. Deum ipsum, & actiones omnes internas, & externas huic Fati subjiciens.*

Ce-

(e) Casin. *dist. lib. 2. cap. 28. pag. 86.*(f) Jun. *Emblem. 11.*(g) Joan. Ovens *lib. 3. epig. 82 Felicitas.*(h) Pacat. in *Paneg. ad Theodos.*(i) Menand. *apud Min. in Emblem. Alciat. 119. pagin. 445.*(k) Ovid. *lib. ult. trist. Eleg. 15.*(l) Senec. in *Hercul. Furc.*(m) Alciat. *Emblem. 119.*(n) Flor. in *epist. histori. Rom. lib. 4. cap. 6.*(o) Homer. Eurip. Cicero, & innumeris alii apud Stobæum *ser. 9. Just. Lips. de Const. lib. 1. cap. 17. & Delri. in not. ad Senec. Trag. in Oedip. pag. 36.*(p) Senec. *Trag. in Oed. de quo sup. Emblem. 5. Manil. lib. 4. Astr. in Princ.*(q) Senec. *lib. 2. nat. quest. cap. 36.*

6 Ceterum hic stolidus error, vel inter ipsos Ethnicos, Platonem, & plures alios habuit contradictores, quorum iudicium fuit acrius, & auctoritas major, ut bene Claudius Mines (r) animadvertit. Atque adèò omnia unius, ac solius Dei potentia, & Providentia Regi cognoverunt; Virtuti præ rebus ceteris primum locum assignantes, & Fatum, sive Fortunam, nihil esse aliud, quam vana nomina, demonstrantes, quæ ut jam supra manifestavimus, hominum vulgus invenit, cum Divinam in omnibus assistentiam, & præordinationem calligantibus oculis cernere non valeret.

7 Eademque sententia apud Christianos, qui Deum verum agnoscimus & reveremur, absque ulla hæsitacione teneri, defendi debet, ut pluribus D. Augustinus (s), D. Gregorius (t), & D. Isidorus (u), & Theologi (x) omnes ostendunt, Mala ex peccato, Bona ex virtute, & Dei gratia oriri probantes, Fatumque ita diffinientes, ut sit *Inherens rebus omnibus immobile divine providentiæ Decretum, quod singula suo ordine, loco, tempore, firmiter reddit.* Quare qui vana hæc nomina, & alia Ethnicorum auguria aut Festivitates observant, Fidem Christianam, & Baptismum prævaricare, & Dei iram graviter incurrere, æquè graviter à D. Augustino (y) & à Minutio Felice (z) monemur, & adhuc gravius à D. Chrysostomo (a) his verbis pravam istam de Fato suggestionem merito detestante, *Nullum tam malum dogma est, ut illud quod de Fato, & Nativitatibus. Ubi enim blasphemia hæc impia, & pestifera hæc opinio, deceptis peccatoribus insita fuerit, persuadet, ut talia de Deo dicantur; quæ nec de demonibus oportebat: confunditur tota vita, dissolvuntur, & supervacua ostenduntur omnia, quæ vel à Deo, vel à Natura, vel à Prophetis, ad emendandos instituendosque mores invecita sunt. Fitque perinde, sicut cum ager corpore, medicina indigens, persuadet Medicis Pharmaca parantibus, non esse sibi illis opus; ita ut nec morbo liberetur, sed expectet sibi per ignaviam, socordiamque miserabilissimum interitum. An non ita loquitur Fatum, nemo utilia admonet; nemo admonentes audiat, frustra sunt leges, & iudices, frustra discipline, & admonitiones, frustra supplicii timor, frustra dignitates, & honores, & præmia bona operantibus constituta, &c.*

8 Hæc cum ita se habeant, satis constare poterit, quanta cum ratione in hoc nostro Emblemate Christianos Principes commoneamus, ut Deo, unico, veriorique Fato, inherere procurrerent, ipsique tamquam firmo & inconstabili muro, suas omnes actiones, & cogitationes affigant, securi, ita demum affixas, felicem exitum habituras, & per longa secula, etiam invidente, vel reluctante Fato, sive Fortuna, mansuras. Quemadmodum ex adverso, quod hoc non innititur fulcro, vel bene affixo Divinæ legis, ac voluntatis clavo, sive paxillo non sustinetur, suo pondere pessum ibit, vel antè quam pendere coeperit, collabascet.

9 Quam similitudinem ex D. Cypriano (b) desumpsi, qui de Principibus temporalibus loquens, ita ait: *Propterea quoque dum multi pendunt in eo ipse Deo adherere debet, qui illum in Ducatum constituit. Qui ad portanda multorum onera illum veluti fortiorem solidavit. Paxillus, nisi bene fixus, firmiter alicui fortiori adhererit, omne, quod in eo pendet, citò dilabitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis, cum omnibus ad terram dilabitur: sic & Princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhererit, & ipse, & omnis, qui ei consentit, citò dilabitur. Et in ea comprobanda, & illustranda lato, & eleganti (ut in reliquis solet) calamo se extendit, idem D. Cyprianus (c) In Deo solo hærendum, fidendum, & gloriandum esse concludens, & inter alia Jeremiæ (d) illud expendens: *Non gloriatur Sapiens in sapientia sua, & non gloriatur Fortis in fortitudine sua, & non gloriatur Dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & nosse, quia Ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & justitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.**

10 Quod bene intelligens Regius Vates (e) non divitias expetit, non voluptates exquirat: non ea, quæ homines præclara, & expetenda iudicant, in aliquo numero ponit. Unum tantum illius votum est, quo mirificè flagrat, quo bona omnia continentur, *Mibi* (inquiens) *adherere Deo bonum est. Et merito sane; nam si secundum Divum Paulum (f): Qui adherere Domino, unus spiritus est cum eo. Quid aliud videtur David, quam Divinitatem prædictis verbis appetere; ut Ossorius (g) præclare considerat, cum qui uno spiritu continentur, idem esse quod-*

dam-

(r) Mines ad Alciat. *dist. Emblem. 119. pag. 442.*(s) D. August. *lib. 5. de Civit. Dei, cap. 9.*(t) D. Gregor. in *homil.*(u) D. Isidor. 8. *etym. cap. ult.*(x) Epiph. *Theol. post D. Thom. 1. part. quest. 116. Boet. de Cons. lib. 4. prosa 6. D. Thom. in peculiari, opuscul. de Fato. Delr. ubi supra, & late Lips. in notis ad Polit. & in lib. de una Religione, ubi se purgat ab objectionibus contra eum factis, tamquam Stoicæ doctrine sectatorem.*(y) Div. Augustin. in *cap. non observatis 26. quest.*

tion. 7.

(z) Minut. *Fenix. in Votavio.*(a) D. Chrysost. in *serm. 5. de Fato.*(b) Div. Cyprian. in *lib. de duodecim abus. gradu 9. cap. 6.*(c) Idem Cyprian. *lib. 3. test. adquirin. pagin. mibi 377.*(d) Jerem. *cap. 9. 23. 24.*(e) David *Psal. 72. 1.*(f) D. Paul. ad *Corin. 6. 17.*(g) Hier. Ossor. in *lib. 5. de vera sapient.*

dammado necesse sit, & eos, qui hoc assequuntur, nec bellorum omnium furor turbare, nec fraudes, & insidiarum parti decoris possessione depellere, neque terror ullus ab hominibus objectus, infringere possit. Quin etiam cum cœlum tonuerit, & fulmina densa contorserit, terraque motibus conquassata desederit, universaque natura incendio conflagraverit; illi, qui se totos in studium, & adhesionem Christi contulerunt, & illius Crucem inflammatis animis amplexati sunt, erecti, & excelsi consistent, & alta mente laboris sui præmium cum summa jucunditate percipient. Si enim cœlum non potest ullo terræ motu de statu suo convelli, (b), multo certè minus poterit, qui supra cœlum in Deo, & cum Deo hæret, ulla cœli, aut terræ conversione, aut naturæ totius interitu, de statu suo demigrare.

11 Et hoc est, quod D. Augustinus (i) admonuit, vanas Gentilium Philosophorum curas irridens, in quo summum bonum consisteret, disputantium, & tandem Christianè concludens: Bonum nostrum, de quo inter Philosophos magna contentio est; nullum esse aliud, quàm illi cõbærere, cujus anima intellectualis, incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur, fecundaturque virtutibus.

12 Ad quod tendere videtur illud etiam documentum, quod S. Theresia à Jesu (k), Hispaniæ nostræ fulgentissimum Sydus, suis sororibus præstitit, inquit: *Mirar bien quan presto se mudan las personas, y quan poco hay que fiar de ellas, y asirse bien de Dios, que no se muda.* Ubi nuperus horum Aphorismorum Commentator (l), doctè & piè alia adhuc illustrandum adducit.

13 Et mirè arridet illud Valerii Maximi (m), veluti ad nostrum Paxillum alludens: *Dominium rerum collabi solet, bona mens præfertur divitis, bonæ mentis usurpatio nullum tristioris Fortuna recipit incursum.* Philonis Judæi (n) acuta perpensio, quatenus postquam mysticam illam scalam, quam Jacob de cœlis pendentem vidit, instabilitatis rerum humanarum symbolum fecit, pergit ad declarandum, cur Deus summitati ejusdem scalæ inixus, in eodem textu dicatur? & ita valdè ad rem nostram apte, satisfacit: *Cum autem dicitur inixus scalæ, nemo intelligat Deum laborare, ut eam molem stabiliat; illud potius cogitet, bis verbis significari, Deum esse rubor, firmitatemque rerum, quibuscumque vult assignare, stabilitatem perpetuam: tantisper enim dum ab illo sustentantur, inconcusse manent, atque integræ.*

14 Quod si exempla ad hoc magis confirmandum requiras, Davidem (o) respice, qui sapius ad Deum in periculis confugiens, toties ab eo consilium, & auxilium accepit. Asam Regem Judæ (p), qui quamdiu in Domino Deo spem suam ponebat, parva suorum manu Æthiopes usque ad internecionem percussit, cum autem Dominum dereliquit, & à Benadat Rege Syriæ, contra Basam Regem Israel auxilium petiit, à Domino derelictus est. Quia, ut nostrum ostendit Emblema, qui ei præcipuè, & benè non hæserit, frustra spem suam in viribus suis, aut in reliquis rebus Mundialibus collocabit. Quæ nihil, quod sit firmum præstare possunt, cum omnis earum status (vel testante Justiniano (q) Imperatore) in perpetuo motu, & agitatione consistat, & secundum D. Augustinum (r): *Ne præsentia quidem dicenda sint præsentia, nunquam stantia.*

15 Qui & idem Beatissimus Pater, non minùs ad rem nostram alibi (s) inquit: *O Homo idè non vicisti, quia de tuo præsumpsisti, qui præsumit de viribus suis, antequàm pugnet, prosternitur.* Cujus monitum sequens Alfonsus Rex Aragonum I. sic apud Bartholomæum Facium (t), filium suum Ferdinandum hoc ipso erudiens, his verbis inducit: *Tum denique tibi militares artes profuturas scito, cum Deum tibi pietate, ac justis factis reddideris propitium. Eum igitur, si vincere expetis, pura mente colito, spemque omnem victoriæ in eo reponito.*

16 Etenim juxta Prophetæ Regis (u) infalibilem aliam animadversionem, *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum.* Quinimò & secundum Jobum (x), qui & ipse Rex fuit, ubi in se, non in eo suas spes collocat, *Apprehendit Sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cõperant.* Cui

(b) M. Varro, Lactant. lib. 3. cap. 8. Clem. Alexand. lib. 2. Stromatic. cap. 11. Div. Augustin. de Civitat. Dei, lib. 18. & 19. & lib. 13. de Trinitat. cap. 4.

(i) Idem August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 4. & vide qualiter summum bonum definiat, lib. 19. cap. 3. & 4.

(k) S. Theres. Document. 62.

(l) P. Alfons. de Andrade super dict. Document. 1. tom. pag. 288. & seqq.

(m) Valer. Max. lib. 4. cap. 4. in princip.

(n) Philon. Judæus in lib. de somniis, pag. 409.

(o) 1. Reg. 28. 37. & 39.

(p) 2. Paralip. 1.

(q) Justin. in Auth. de non alien. reb. Eccles. §. ut autem. vide Alban. Espinas. in Polit. lib. 1. cap. 2.

(r) D. August. serm. 29. de verb. Dom.

(s) Idem de verb. Apost.

(t) Bart. Faccius lib. 1. Hist.

(u) David Psalm. 32. 10.

(x) Job. 5. 12. 13.

similis Isaias (y), *Convertens (inquit) Sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens.*

17 Et mirè concinens D. Chrysostomus (z), Psalmum illum explicans, quo David ita anxie & humiliter orat, ut eum liberet à persequentibus se, quia non est, qui redimat, neque qui salvum faciat, sic habet; *Collegit David exercitum, & multos secum habuit, quomodo ergo non est, qui redimat, neque qui salvum faciat? Quoniam ne universum quidem orbem terrarum, auxillii loco habet, nisi opem divinam fuerit assecutus: nec se esse ducit in solitudine, licèt solus sit, si sit illius auxillii particeps.*

18 Plura quidem alia, plures alii circa hoc argumentum adducunt, inter quos Ambrosius Marlianus (a) caput, agit, hoc istud quod de eo, Diaclaicho

*Principis ante oculos adsit divina Potestas;  
Sic firmum Imperium, sic erit Alma quies.*

19 Nos se lectiora, nostroque Emblematis congruentiora teigisse contenti, eò undè ejus commentationem cepimus, redeuntes, Fortunæ quidem instabilitatem agnoscimus, & aliquando vetus illud Monasticum, juxta captum humani judicii, certum esse fatemur.

*Fortuna cum virtute bellat perpetim.*

Quod & respiciens Lucianus (b) in quodam Dialogo virtutem à Fortuna malè habitam, seu vapulantem inducit, laceramque ac mœrentem, ut quæ nec ad Jovis aspectum admitte-

retur.  
20 Sed adhuc tamen certius esse ducimus, & sentimus, & Christianos omnes Principes, & homines ducere, & sentire debere, admonemus, nunquam ei multum obesse posse Fortunam, qui sibi firmus in Virtute, Sapientia, ac Prudentia, quam in ea ipsa, præsidium collocaverit, quique volventibus ejus rotis Clavum hunc divinæ adhesionis, de quo loquimur, prudenter pariter ac potenter infixit. Hic etenim solus repertus est, qui eam sistere possit, & procellosam, naufragiumque minantem, veluti anchora quadam sacra compescere.

21 Quod, non Platonici tantum (ut diximus) Sectatores, verum & alii, plures ex Ethnicis, agnovisse quidem videntur, proficentes, (ut ex Cicerone (c) & Lactantio (d) constat) virtutem omnia, quæ in hominem cadere possunt, subus se habere, eaque despiciente n, casus humanos contemnerè, culpique omni carentem, nihil præter ipsam, ad se pertinere censere.

22 Indeque inter varias, quas virtuti assignant diffinitiones, in eam tandem magis, eodem Lactantio (e) testante, conveniunt, ut *Virtus sit, perferendorum malorum fortis, atque inviãta Patientia:* & quoniam fortitudo ceteris omnibus virtutibus excellit, factum est, ut omnes rectæ animi affectiones *Virtutes* appellentur, etsi latiori nomine, quicquid vitio contrarium est, *virtus* quoque dicatur, & *Virtus, affectio seu voluntas rectè & honestè faciendæ*, secundum Aristotelem (f), & eundem Lactantium (g) diffiniatur.

23 Et ad Primam illam, quam sectamur, diffinitionem, respiciens Menander rectissimè dixit,

*Scutum maximum est Virtus mortalibus.*

Et Sophocles (h): *Virtutis autem sola constans, perpetuaque possessio est.* Actius (i): *Nam si à me Regnum Fortuna, atque opes eripere quivit, at virtutem nequivit.* Seneca (k) Tragicus: *Fortuna enim ad tempus opes auferre, non animum potest.* Et expressius Paulus Silentiarius, eam solam stabilem, & Fortunæ Victricem, his verbis ostendens:

*Neque divitis Fortuna eleveris impetu;  
Neque tuam flebat cura animi libertatem,  
Omnis enim sub instabilibus vita subjicitur auris,  
Huc & illuc frequenter exagitata:  
Virtus autem firmum quid & immutabile, qua sola fretus;  
Undas audacter transeas hujus vitæ.*

Quam etiam eandem ob causam Antisthenes apud Laërtium (l); Armaturam esse dicebat, quæ

(y) Isai. 44. 25.

(z) D. Chrysost. in Psalm. 7. 2. 3.

(a) Marlianus in Theat. Polit. cap. 27.

(b) Lucian. Dialog. Virtus Dea, fol. mibi 381.

(c) Cicer. 5. Tusc.

(d) Lactant. de fals. sap. cap. 28.

(e) Lactant. de Opif. Dei, in fin. cap. 12.

(f) Arist. 7. Ethic. cap. 3. & lib. 3. Eth.

(g) Lactant. lib. 6. divin. inst.

(h) Menand. & Soph. in Eriphile.

(i) Actius in Telepho.

(k) Senec. in Medea.

(l) Laert. lib. 9.

quæ detrahi non possit. Eris enim & Clypeus excutiuntur, Sapiens autem ac virtute præditus, numquam non armatus est, eoque vinci non potest.

24 Horatius quoque, & mille alii Poëtae (m), eam, ob hanc causam, nesciam repulsa, sibi quemet, pulcherrimam mercedem appellant, & auræ popularis arbitrio exemptam, totque ac tantis extollunt laudibus, ut laboriosum sit eas in unum congerere velle. Sed quia valde ad nostrum institutum conducit, audi eundem Horatium (n) ita loquentem,

Non possidentem multa vocaveris  
Rectè beatum, rectius occupat  
Nomen beati, qui Deorum  
Muneribus sapienter uti.  
Duramque callet pauperiem pati,  
Pejusque letho flagitium timet.  
Non ille pro caris amicis,  
Aut patria timidus perire.

Claudium (o) in Panegyrico quodam, idem ipsum eleganter his verbis docentem,

Ita quidem virtus pretium sibi, solaque latè  
Furtive secreta nitet, nec fascibus ullis  
Egitur, plausu petit clarescere vulgi:  
N' opis externæ cupiens, nil indiga laudis.  
Sociis animosa suis, immotaque cunctis  
Cibus, exalta mortalia despicit arce, &c.

Silium Italicum, (p) dum post alia de Virtute elegantissimè, & prudentissimè dicta, sic ait,

Natum honor, & landes, & læto gloria vultu.  
E decus, & niveis victoria concolor alis.  
N' cinctus lauro perducit ad astra triumphus;  
Cita mihi domus, & celso stant colle Penates.

25 Neque est silentio prætereundus Baptista Mantuanus (q), qui virtutem, quæ sola, ob sui bona ad hominibus expetere leberet, ab eisdem se desertam graviter quereatam inducit, & ita exorditur.

Fortune domitrix ego sum, scelerumque flagellum.  
Eque hominem tuear, Superumque intectare portent  
Evolumen, stygias omnes demolior artes, &c.  
N' labor assiduus validam facit, oia frangunt,  
E quoties opus est, armis exterrita nullis  
Cogredior, vinci, & succumbere nescia, si quod  
Indus ab adversis iniection est casibus, æqua  
dente fero. Hominem doceo, variasque per artes  
Eudiens paucis, Diis immortalibus ipsis  
Et similem reddo: & tandem super æthera tollo.

Eleganter etiam idem expressit Isidorus Pelusiota (r) dum dixit: Non Ænea statua auro rutilans, ac coloribus nitens, non Olympica Corona, non opes, non pulchritudo, non robur, non Imperium, non regnum, non aliud quidquam eorum, quæ magna esse videntur, magnum est expectandum. Tempori enim cedi, & extinguitur, atque in oblivionem abit. Sola autem virtus præclaræ, & numquam inter miruram gloriam obtinet, ut quæ, nec vetustati cedat, nec oblivione conteratur, nec marcescat. verum recentem semper, ac vegetam, ac florentem dignitatem habeat. Ac proinde prudentius viribus entendum est, ut eam adipiscantur.

27 Recentiora sunt, ad rei nostræ valde apta, & memoriæ mandari digna, hæc quæ sequuntur Poëtae nostri seculi carmina,

Escite virtutem juvenes: nam sola beatos  
Nos facit, & dire non timet arma necis.  
Fortune minas, aut sævi spicula Fati.  
Queque facit tremula curva senecta manu.

(m) Horat. 1. Carmin. Od. 2. Plant. in Amphit. idem Horat. lib. 1. epist. 1. & 2. Ovid. de Ponto, & Silius Ital. lib. 13. & alii passim.

(n) Horat. lib. 4. Carmin. O. 94.

(o) Claud. in Panegir. ad Mall. Theod. in principio.

(p) Silius Italic. lib. 152.

(q) Mantuan. in virtutis querim.

(r) Pelusiot. lib. 2. epist. 265.

Im-

Imbibe virtutes, & inania gaudia sperne,  
Sunt animi comites, gaudia vera boni:  
Nec quemquam placidis aded complectitur ulnis  
Sors, ut non aliqua parte molesta premat.

28 Et ob hanc causam Titus Livius (s) negare non potuit, quin Fortuna virtutem sequatur. Et Juvenalis (t), jam supra relatus, Prudentiæ, Sipientiæque numen supra Fortunam esse. Et Seneca (u) licet Stoicæ sectæ addictissimus assecla: Nulla (inquit) possessio, nulla vis auri, & argenti pluris quàm virtus æstimanda est. Quia unum hominis bonum ipsa virtus est, quæ inter banc Fortunam, & illam superba incedit, cum magno utriusque contemptu. Quæ nulli non & vivo, & mortuo retulit gratiam, si illam bona sequutus est fide; & quemadmodum minuta lumina claritas Solis obscurat: sic dolores, mœstittias, injurias, virtus magnitudine sua eledit: atque opprimit; nec magis ullam portionem habent incommoda cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbis. Sola sublimis, & excelsa virtus est, eaque extolli hominem, & supra chara mortalibus collocat: nec ea, quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit minus, aut expavescit.

29 Cui mirè consonat illud aliud simile, quo ad hoc idem denotandum Erasmus (x) usus est, inquit, quòd quemadmodum grando illissa tectis dissultat, magno quidem fragore, verum nulla noxa: sic insultus fortunæ nihil potest in virum vera virtute, sapientiæque munitum. De quo vel in Adagium (y) pertransiit, Sapiens dominabitur Astris, Sapiens Fortunatus, Sapiens non eget, Sapiens à se ipso pendet, Sui cuique mores fortunam fingunt, Sapiens sua bona secum portat. In quæ respiciens Epictetus (z): Sicut Jupiter (inquit) secum est atque agit, & in se acquiescit, fructurque cogitationibus se dignis: sic & sapiens sibi ipsi sufficit, & secum esse potest, fructurque puriore illa, & sublimiori meditatione, qua felicitate nulla Deo est proprior.

30 Quem, eandem etiam ob causam, solum posse liberum dici, latè in suis Paradoxis Cicero (a) probat: concludens, quòd cum libertas sit potestas vivendi, ut velis, ille solus vivit, ut vult, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atque provissa est, qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur, atque collit, quòd id salutare esse maximè iudicat. Soli autem id contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus, ac proinde confitendum esse, nisi qui ita sit affectus, esse liberum neminem.

31 Horatius (b) etiam, nobilis ejusdem disciplinæ sectator, idem docet his verbis:

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus.  
Quem non pauperies, neque mors, neque vincula terrent,  
Responsare cupidinibus, contemnere honores  
Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus.  
Externi ne quid valeat per læve morari,  
In quem manca ruit semper Fortuna.

32 Et alio in loco (c) Manentem se Fortunam laudare, & desiderare ostendit, cui tamen, si adhuc avolet, ex virtute præsidium petit, sic inquit:

Laudo manentem, si celeres quatit  
Penas: resigno quæ dedit, & mea  
Virtute me involvo, probamque  
Pauperiem sine dote quero.

Alludens nimirum ad Romanorum morem, qui hanc demum Fortunam, cui Virtus, Prudentia, & Sipientia dominabatur, Manentem vocabant, & ut Giraldus (d), & Brisonius (e) tradunt, illam virtuti super saxo cubico, hoc est quadrato, adsidere fingebant, alis, talaribusque depositis, & globo, cui alias inniti consuevit. Quasi dicerent, numquam, dum virtuti assistit perpetem esse.

33 Ad quam picturam alludere videtur Symbolum Eduardi III. Regis Angliæ apud Oct. Stradam (f), Fortunæ, rotam super globum orbis ferentis, cum lemmate, Sipientia Fortunam.

F

(s) Livius lib. 4.

(t) Juven. Satyr. 10.

(u) Senec. passim in suis Epist. & præcip. epist. 66.

ad Luc. & lib. 1. de ira in fin.

(x) Erasmus in similib.

(y) Idem in Adag. pag. 100. 607. 608. 610. 728.

(z) Epictetus lib. 1.

(a) Cicero. Paradox. 5.

(b) Horat. lib. 2. satyr. 7.

(c) Idem lib. 3. Od. 29.

(d) Girald. Sync. 16.

(e) Briss. de form. lib. 1. pag. 57.

(f) Strad. in Symb. fol. 45.

Et Achilles Bocius (g) in quodam ex suis Symbolis, cuius lemma, *Virtutis, & felicitatis formula*. Neque abest Petrus Costalius (h), qui eandem ob causam Fortunam furca suspensam, & Sapientiam solam dominantem, appingit, sic inquires:

*Aspice ut in nostris pendet Rhamnusia furcis,  
Et recipit sceliri debita pensa suo  
Queque olim (si Diis placeat) confecit utranque  
Paginam, apud Gallos ultima Fata luit.  
Quid tibi Fortune curæ est rota mobilis? illi  
Quid tecum est? Sapiens solus apud te habita.*

Et Jacobus Boissardus (i) qui sedentem studiisque, & virtutibus incumbentem Sapientiam, à vortiosa Fortunæ cymba liberam, & expertem facit, his verbis:

*Fortune dubio haud vehitur Sapientia cymba.  
Nec vanis fulta est indiga divitiis,  
Sed cura vigili, & studio solerte parata,  
In varia rerum cognitione sedet.*

34 Et Modernus (k) alte Emblemarius, idem per effugiem aliam significat, cuiusdam Philosophi, sive Sapientis pedibus Fortunam calcantis, catenaque alligantis, sub titulo, *Sapiens supra Fortunam*, & his carminibus,

*En que iura solet per mirorsum  
Cumclis dicere sors, hic illigatur:  
Nimirum Sapientia recoctus;  
Extra se nihil expetens bonorum,  
Sortem sub pedibus premit superbam.*

Quod sumere potuit ex illo Antisthenis, qui, referente Laertio (l), assidue dicere solebat, Virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico, vel potius Diogenis, qui, ut Stobæus (m) ait, cum Reges & divitias, terrenaque omnia despiceret, sibi Rex esse videbatur, & Fortunam intueri dicentem,

*Tangere sed hunc rabiosum ego nequæ canem.*

35 Socratis (n) certè animum tringenta Tyranni infringere non potuerunt. Regulus Iunibus in perpetuam vigiliam expansis, periculis undique imminentibus, catenis circum framentibus, non abscondidit virtutem, sed magis, magisque exeruit, suosque gemitus sub torture devoravit (o). Seneca (teste (p) Tacito) exanguis jam ferè in balneo, ubi jussu crudelis Neronis occubuit, se ipso Sapienter ostendit, & Philosophicis recordationibus communit: *Ubi (inquens) magistra fortitudinis sapientia? Ubi exercitus adversus Fortunam animus? Prodeat illa disciplina, præsentique firmitudine majestatem ostendat suam, que animum adversus difficilia præparare, & eventura contemnere docuit.* Papinianus (q) interrito vultu à Tyranno cæsus est, quia parricidium facilius committi, quàm excusari respondit, & sic sexcenti alii, quibus in adversis hoc solatium fuit, quòd secunda mereri videbantur.

36 Delapsa quippè cœlitus est, ac distractis inter ancipitia Mortalibus, subvenit illa verè Domitrix affectuum, vere reatrix ac reformatrix humani generis Virtus, & Sapientia. Quæ magnum discipulis suis arcanum evulgavit, posse aliquem inter infœlicia felicem esse, & siquid adversi cadat, non nisi laudibus suorum, ac virtutibus, materiem campumque prosterni: cum secunda fortunatos, adversa magnos probent. Et qui his se præmuniunt, accidentia quælibet, non aliter quàm missa divinitus accipiant, & meliorem sui partem, Animum scilicet, qui extra imperium, & sævitiam Fortunæ est, in nostro hoc Dei paxillo figentes, celebrem illam vocem Stilponis, apud Senecam (r) semper in auribus habeant, urbe capta, nihil se perdisse dicentis, cum virtutem suam, & animi constantiam secum portaret. Adversus quàm, ut idem Seneca subdit, hoc possunt calamitates, & damna, & injuriæ, quòd adversus Solem nebula potest.

Quæ

(g) Boch. Sym. 127.  
(h) Costal. in Pegmat. pag. 171.  
(i) Boissard. Emblem. 51.  
(k) Schoonchovius Emblem. 2.  
(l) Laert. lib. 6. in Antioch.  
(m) Stob. Serm. de Fortuna.

(n) Laert. in Socrat.  
(o) Valer. lib. 2. cap. 9.  
(p) Tacit. 15. Annal.  
(q) Spartian. in Carac. Bertran. de vitis I. C. in Papin.  
(r) Senec. Epist. 9.

37 Quæ etiam vox Severino Boethio (s) in ore fuisse fertur, um à Tyranno, sub quo tandem occubuit, in exilium actus, & multis, quibus abundabat, divitiis exutus fuit. Eademque seipsum solatur in libro de Consolatione Philosophica, plura lectu digna in eam hanc in Metris, & in Prosis edisserens, & præcipue in quarto libri primi, ubi sic habet,

*Quisquis composito serenus ævo  
Fatum sub pedibus dedit superum,  
Fortunamque ruens utranque ræus  
Invictum potuit retinere vultum  
Non illum rabies, minæque Pati,  
Versum funditus excitantis æson,  
Nec ruptis quoties vagus camis,  
Torquet fiamificos Vesceus igni,  
Aut celsas soliti ferire turres  
Ardentis vis fulminis movebit.  
Quid tantum miseri feros Tyrannos  
Mirantur sine viribus furentes  
Nec speres aliquid, nec extimcas,  
Exarmaveris impotentis iram sc.*

38 Hoc idem, ut relictis profanis exemplis, & testimoniis, Christianis etiam, ut verioribus, ita & securioribus communiamus, Jobum (t) respice, ea, qua in Deum habebat Constantia, Fide, inter ærumnas dicentem: *Scio quòd Redemptor meus vitit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Etiam si occiderit me Dominus, tamen sperabo in eum.* Davidem (u), qui etsi inter mille angustias, & pericula se positum ingemiscat tandem eadem in Deum adhesionem, se victorem evasisse gloriatur. Septem Machabæos (x) Fratres, eorumque Matrem, inter atrocissima tormenta eundem Dominum prædicantes. Ignatum (y), qui cum jam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, vincendique, rugientes jan leones audiens, dicebat, *Frustramentum Christi sum, & dentibus bestiarum molar, ut mundus panis Christi inveniar.* Divum Laurentium, qui quomodo suam Fortunam calcavit, & eværit victor, & jam in ipsa craticula positus, satis ostendunt, ac testantur ejus verba, quæ vel ad Decium Imperatorem, vel ad Præfectum ejus impium illud Olibrium dixit, & ab Aurelio Prudentio (z) ita metricè referuntur:

*Converte partem Corporis,  
Satis crematam jugiter,  
Et fac periculum quid tuus  
Vulcanus ardens egerit.*

39 Sic hi, & alii, sua in Deum Fide, adhesionem, conantiaque mostrantes, quàm sit verum illud Apostoli (a), quòd qui ita faciunt, *Omnia possunt in eo, qui eos confortat.* Et quòd Nos in hoc nostro Emblemate insinuare conamur. Quod nisi brevitati consuleremus, Magis adhuc, ac magis verbis Divi Hieronymi (b), Agustini (c) Sviriani (d), & aliorum confirmari, & illustrari posset. Sed omnium vice Divum Chrysostomum de hac victoria Virtutis contra Fortunam, ita loquentem exaudi: *Virtus ubique lucet, & inexpugnabilis est: nihil eam impedire potest, non divitiæ, non paupertas, non principatus, non subjectio, non rerum præsidencia, & administratio; non morbi, non ignominia: sed his omnibus in terra relictis, ad cælum ipsa pertingit. Dumtaxat sit Animus generosus, & nihil poterit strenuum, ac solidum impedire. An non per omnia ista efficaciter operati sum Apostoli? per gloriam, & ignorantiam, per infamiam, & bonam famam? Istud demum est Athleta ad omnia accommodum esse, etenim talis quoque est Virtutis natura. Unde sciè & valè in rem nostram, dicere potuit, ille (e) qui dixit:*

*Fata regunt Fatuos: Sapiens dominabitur Astris,  
Non Fatum, ac FATO (\*) se regit ipse suo.*

F 2

EM-

(s) Boeth. de consol. Philosoph. lib. 1. Metro 4.  
(t) Job 13. 15. & 19. 25.  
(u) David Psalm. 6.  
(x) Machab. cap. 7.  
(y) Euseb. lib. 3. cap. 26.  
(z) Prudent. in Peritaphan. de D. Laur.  
(a) D. Paul. ad Philip. 4. 12. 13.

(b) D. Hieron. in epist. ad Epher. cap. 3.  
(c) D. Agust. epist. 87. ad Felic. & Rust. & in Prefat. in Pâm. 74.  
(d) Salvian. lib. 1. de provid.  
(e) Joan. Genus lib. 3. Epigr. 186.  
(\*) Id est Sapientia.